Fecit hesterna die tabellarii festinatio ut ad Te,
Vir Nobiliss., scriberem aliquanto praecipitantius
quam sane voluissem. Propterea haec submitto statim
si forte hesternas meas Bruxellae assequantur. Ut
primum literas tradidi, subiit ecce mihi dubitare, et
vereri, ne quod in iis scripsisse memini de nullo a me
hostimento etc., id a me aut crudius dictum, aut
obscurius expressum videri possit. Scio enim quod Steenbergen-
sibus incumbat; quorum est nostra causa illic praestare, quod
hic nos Illorum nomine facimus: Suis Illi sumptibus
procurare debent nostrae Clientelae diploma: non minus
quam nos hic Illorum. Atque haec ratio fuit cur meas
vobis tradi curaverim ipsorum Steenbergensium manu,
ad quos eas transmisi. Quapropter vehementer rogo
ut si officio suo illi defuerint in persolvendis juribus,
id mihi per literas significari; ut debitam ipse satisfacti-
onem curem. Neque enim a Viro Amico quidquam
gravius ausim postulare, quam quod absque ullo suo
onere commode praestare possit. Ut nec ignoro jure
merito id Ordinibus deberi quod ea de re ipsi antea
constituerint. Quaeso igitur, ut quidquid horum in
prioribus omissum fortasse videbitur, id nimiae festinationi
et praecipitationi meae ita ascribas, ut mihi errorem,
quantuluscumque est, agnoscenti etiam benigne
ignoscas. Caeterum, quod aliquando mihi tribus lineis
concessit Princeps Mauritius, altiss. memoriae, optarim
valde mihi licere de consensu Excellentiss. Principis

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boukaert) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/740a

expresso bel in diplomate Cliëntelæ quod nunc a nob[is]
petit^o. redintegrari, bel alio separato etiamsi limit[ati]
temporis, ingredi Urbes Ordinibus V̄ris subditas.
non abutar. prævideo quædam negotia loci et Eccl[esiæ]
nostræ, etiam propria, quæ breui me volent
Ditiones v̄ras subintrare, forte etiam Amsterdamu[m]
pertransire. Sed per diuturniorum sæculi nostri
Fartionum malignitates olimne opus erit
emendatis hinc inde hisce diplomatis? auertat
bonus Deus, qui Excellentiss. Aurasij Principem
Quenerium PACIS PRINCIPEM faciat et Te
Vir Nobiliss. diutissime seruet incolumem.
Vale.

Tui

Obseruantissimus

J. Bouckaert

P. Aspricollis.

Quod pro expeditione [illegible]parati forte
diplomatis licentiæ ingressus in
Urbes v̄ras soluendum foret,
submittam seruire.

Aspri-colle prid. Idib. Decemb.
CIↃDCXXXII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boukaert) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/740a

L

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boukaert) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/740a

Amplissimo et Nobiliss.
Domino

Dno Constantino Huygenio, Equiti,
Zuylichemi Toparchæ, Principi
Auriaco a Consilys et
secretis.
Hagam-Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boukaert) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/740a